Hunt Institute for Botanical Documentation
5th Floor, Hunt Library
Carnegie Mellon University
4909 Frew Street
Pittsburgh, PA 15213-3890
Contact: Archives
Telephone: 412-268-2434
Email: huntinst@andrew.cmu.edu
Web site: www.huntbotanical.org

The Hunt Institute is committed to making its collections accessible for research. We are pleased to offer this digitized version of an item from our Archives.

Usage guidelines
We have provided this low-resolution, digitized version for research purposes. To inquire about publishing any images from this item, please contact the Institute.

About the Institute
The Hunt Institute for Botanical Documentation, a research division of Carnegie Mellon University, specializes in the history of botany and all aspects of plant science and serves the international scientific community through research and documentation. To this end, the Institute acquires and maintains authoritative collections of books, plant images, manuscripts, portraits and data files, and provides publications and other modes of information service. The Institute meets the reference needs of botanists, biologists, historians, conservationists, librarians, bibliographers and the public at large, especially those concerned with any aspect of the North American flora.

Hunt Institute was dedicated in 1961 as the Rachel McMasters Miller Hunt Botanical Library, an international center for bibliographical research and service in the interests of botany and horticulture, as well as a center for the study of all aspects of the history of the plant sciences. By 1971 the Library’s activities had so diversified that the name was changed to Hunt Institute for Botanical Documentation. Growth in collections and research projects led to the establishment of four programmatic departments: Archives, Art, Bibliography and the Library.

e).

6

VIII.

Viro Celeberrimo

D. Christiano Gottlieb Ludwigio

Ordinis Medici Lipsiensis Decano,

Jo. Fr. Seguierius S.D.

Circa finem Mensis Novembris anni præteriti mihi redditæ sunt litteræ tuæ, et Commentar. tuorum Vol.us XII. Pars I.a quam nescio qua de causa etiamnum haud acceperam; tum ejusdem vol.i Pars tertia. Utramque humanitati tuæ debeo, multumq tibi præstanti tua liberalitate devinctus sum. Hujus initio, Historiæ naturalis Musei Regis Galliarum voluminis X.i accurata recensio habetur. Volumina XII et XIII jam prodiere. Etsi in illis ut in cæteris, optimas animalium quadrupedum descriptiones deprehenderim, haud quaquam adducor ut credam, ea omnia in Regio Museo contineri. Varia quidem desunt, variorum partes tantum in illo adservantur; sæpissimeque miratus sum, cur celeberrimi auctores occasionem inde arripuerint species omnes hujus alteriusve generis animalium describendi, quibus Museum illud destitutum est. Verum utcumq sit, optimas descriptiones tradunt egregiasq formas.

Zevianum, qui Veronæ medicinam facit, cujusq opus de infantum Rachitide secundo loco recensetur, optime novi dum Veronæ essem, sæpiusq de rebus ad medicinam spectantibus secum collocutus sum. Rachitin frequentem observari in illa regione, pueri marcescunt, ægreque sanantur. Alia quædam opuscula, dum illic essem, Italice conscripsit et vulgavit; rationiq consentaneum ostendit usum mittendi sanguinem ante purgationem, in illo anno 1752 vulgato, cui titulus: Metodo circa l'uso della purga e del Salasso. In altero vero anno 1754 in lucem emisso, Novam prognosis medicæ methodum excogitavit: nempe ex intervallo quod excurrit inter primas morbi causas, et ipsius morbi initium; prout illud majus minusve est, inde major aut minor morbi duratio, tum et periculum præsagiendum illi videtur.

In Specimine Historiæ naturalis globi terraquei Rod. Eric. Raspii, vix puto fore ut illi assentiant qui corpora petrefacta norunt, aut originem eorundem tribuant terræmotibus. Mare quidem olim per longum tempus in terris —

Hunt Institute for Botanical Documentation

insedit, illud in terras exaestuasse ex terraemotibus, et conchylia, aliaque marina corpora per ejusdem superficiem fuisse disseminata ex illa eructatione, nequaquam mihi persuadere possum, etsi dein hac via quaedam in altum efferri potuisse. Horum mihi ampla suppellex penes me est, seduloque mentis vestigavi ut ea conquirerem, et adhuc planè anceps sum de modo quo illuc pervenerint.

Acutorum morborum curatio omnino quidem difficilis et implexa, ita ut observationes quaecumque huc tendentes maximi faciendae sunt. Elleri librum admodum utilem fore puto iis qui illarum febrium causas et remedia noscere cupiunt. Clariss. venerandique senis Morgagni opera semper in pretio habui, iisque plutei mei repleti sunt. Inter disquisitiones medicas Londinensium medicorum video te egisse de Mercurii Sublimati usu ab Ill. Van Swieten proposito. Equidem merito laudatur, nuperque virum quemdam Nobili loco natum vidi, qui jam a multis annis varia medicamina adhibuerat, ut se a graviori morbo et ab ulceribus phagedaenicis liberaret, frustanea experimenta plurima fecerat nec votorum suorum compos, monente cl. Störckio Mercurium sublimatum adhibuit, paucisq. pristinae sanitati restitutus est et a mortis faucibus ereptus.

Multi viri docti scripserunt de noxia vasorum cupreorum ad cibos parandos, recte quidem, praesertim cum aerugine scateant. Attamen dum in Italia essem cunctos illius regionis incolas usurpare vidi situlas aeneas ad aquam e fontibus vel e puteis hauriendam, eamq. in illis servant ad bibendum, nec inde quidquam mali evenire percepi. Aquam Parisienses bibendam in vasis aeneis stanno illitis servant. Nos vero in vasis figulinis et urceolis.

Oleum Ricini pluribus nequaquam feliciter successit, pluraque exempla in Diariis medicis allata sunt quibus probatur noxium esse: itaque illud reponendum censeo inter incerta medicamina.

Experimenta chemica circa calcem recentem a cl. Mayero instituta optima mihi visa sunt maximeque utilia. Optandum foret ut in Latinam linguam verterentur ut ii qui Germanicam haud callent, tam egregio opere frui possent.

Recte quidem mones nostra aetate Botanicorum opera adeo in immensum crevisse ita ut his pene obruamur, nec etiam data opera omnia cognosci queant. Ea quae Hillius indefessus ille scriptor, in medium protulit, etsi in Diario vestro

Hunt Institute for Botanical Documentation

optime descripta sint, facilius tamen percipientur ab iis qui Tabulas objiciunt oculis. Ex iis quæ in recensione traduntur multum se ex aliorum operibus profecisse video.

Epitomen Commentariorum Academiæ Suecicæ ab anno 1739 ad an 1752 Venetiis ediderunt anno 1762. titulo: Analecta Transalpina. Volumina duo jam habeo, tertii spem fecerunt, verum ad manum nondum pervenit. Spero fore ut opus ad annum 1762 perducent. Nuper vero Parisiis prodiit Recueil des Mémoires les plus interessans de Chymie et d'Histoire naturelle, contenus dans les Actes de l'Académie d'Upsal et dans les Mémoires de l'Académie de Stockholm, publiés depuis 1720 jusqu'en 1760. Traduits du Latin et de l'Allemand. 1764. 2 vol in 12.

Parænesin tuam de vera Studiorum medicorum ratione jucunda totam perlegi, eoque mihi carior extitit, quod in ea plura de Te, et de methodo qua omnem disciplinam medicam complexus est, dixisti. Africanum iter olim a te susceptum memoras. Dicas, amabo, num cum cl. Hebenstreitio regionem illam adiisti? num ex eadem cum eo anno 1733. Parisios te contulisti? Si ita est, coram te præsentem exhibui: nam cum aliquando cl. Bernardum Jussiæum tunc temporis convenissem, forte fortuna viros quosdam Latine loquentes conspexi, qui postquam recessissent, ab illo petii quinam illi essent: reposuit doctos esse viros ex Africa redeuntes qui iter Lipsiam pergebant, nec amplius sors dedit ut iterum eosdem videre potuissem. Num ex illis eras?

— Cl. Fizes medicus Monspeliensis, nominis celebritate maxime commendandus, cum in tota Provincia Narbonensi tamquam alter Aesculapius haberetur, provecta ætate ab aliquibus mensibus Monspelii obiit. Cl. Sauvagio haud satis firma est valetudo[+], domesticas tamen res curat, et Professoris munia obiit. [+ fract.]

— D'Argenville qui de Conchis et Conchyliogra varia scripsit volumina, circa finem anni præteriti vitam cum morte commutavit. Dolui exitum amicissimi viri quem per multos annos colui. ἔδεις ἀθάνατος.

Chalasius ille cui plurimum favisti, prateq rependit, quemq tibi commendaveram, nuper e Germania rediit. Nunc vero Castor Vigouroux concivis noster illius vices eget, illumque tibi æque ac Chalassio faciebas, faveas precor. Ipse vero epistolam meam fasciculumque reddet. Huic alterum adjungi amicissimo viro Walchio Professori Jenensi nuncupatum, fac ut habeat, rogo. Si vero quædam ad nos transmittenda in posterum cures Vigourouxio tradas, qui pro ut occasio se præbebit, in hasce regiones transmittet. Vale vir amicissime, meque tibi addictum censeas. Nemausi Nonis Februar. an. 1766.

Hunt Institute for Botanical Documentation

Elenchum quorundam librorum, quos modo conspexi in Bibliopolio hic adjungo, ii quidem omnes ad rem tuam spectare videntur.

La Jurisprudence particuliere de la Chirurgie en France, ou Traité historique et juridique des établissemens, reglemens, police, droits, et privileges des Societés de Chirurgie, avec les devoirs des juges à leur egard. Par Mr. Verdier Docteur aggregé au College de Nanci, et Avocat au Parlement. Paris. Didot. 1764 in 8o. 2. vol. Com:

Maniere d'ouvrir et de traiter les Abcés à portée de la main du Chirurgien, et des Secours de la Chirurgie. Paris 1765 in 8o.

Commentaire des aphorismes de Medecine de Boerhave sur la connoissance et la cure des maladies, par Van Swieten. Traduits en François par Moublet Medecin à Tarascon. a Avignon 1766 in 12o. 2. vol.

Matiere Medicale traduite du Latin de Cartheuser, augmentée d'une Introduction à la Matiere medicale. Paris. 1765. 2. vol in 12o.

Précis de la medecine pratique de Lieutaud. Nouvelle edition. Paris. 1765. 2. vol. in 12.

Traité des affections vaporeuses des deux sexes, par Mr. Pomme, medecin à Arles. 2e. edit. augmentée. Lyon 1765. in 8o. Com:

Essai sur les differentes especes de fievres par Huxham. Nouvelle edition augmentée de trois ouvrages I. sur les maux de gorge avec ulceres malins. II. sur l'Antimoine. III sur une colique epidemique. Paris 1764. in 8o.

Mélanges d'Histoire naturelle par Mr. Alleon Dulac Avocat. Lyon. 1763. in 8o. 2 vol. La suite en 4 volumes a paru en 1765.

Projet d'Ouverture et d'exploitation des Minieres et mines d'Or et d'autres metaux aux environs du Céze, du Gardon, de l'Eraut, et d'autres rivieres du Languedoc de la Comté de Foix et du Rouergue: par Mr. l'abbé de Gua de Malves. Paris 1764 in 8o. Com.

Mémoire pour l'histoire naturelle du Lyonnois, Forez et Beaujolois par Alleon Dulac a Lyon. 1765 in 8o. 2. vol.

Histoire de l'agriculture ancienne extraite de Pline, avec des eclaircissemens et des remarques Par Mr. Desplaces. Paris. 1765 in 12o.

Traité de la Garence et de sa culture, avec la description des etuves pour dessecher cette plante. Nouvelle edition par Mr. Duhamel du Monceau. Paris. 1765 in 12o.

Vir quidam Rothomagensis nomine Dambournay dissertationem in Academia Rothomagensi recitavit de Cruciata Lusitanica latifolia flore albo Inst. R. Herb. p. 115. quam substitui posse putat Rubiæ tinctorum.

Ex Italia nuper accepi Lucæ editum esse Comitis Ginannii Ravennatis Museum. varia in illo sunt ad historiam naturalem spectantia.

Hunt Institute for Botanical Documentation